

Haia r. Zeno Veron.

domini sui, Israel autem me non cognouit. Isai. 1. num. 3. D. Zeno Veronensis serm. 5. de Isai. Exaltatos appellat, inquit, ut ingratos ostendat, bonem illis, asinumq. praeponit, ut gratius possint, si respiciant, comparatione torqueri, quam poena. Vide superior cap. 12. quaest. 10.

56. Secundo. Depingitur in his Leprosis humana conditio, quantumque animae salutis proficit omnis fortunae aduersitas; quantumque oblitit felicitas: quando enim isti infirmitate, ac illius oppressione vexabantur, Christum quaerunt, eique occurrunt, ac ad ipsum clamant: Iesu praecipere miserere nostri. At postquam sanitatem impetrarunt, simul cum morbo beneficii memoriam deposuerunt, ut iam amplius non Christum quaerant, nec de ei gratificanda salute sint solliciti.

Morbo, ac labore de Deo recordamur; felicitate obliuiscimur.

57. Tertio. Iudaei non veniunt ad Christum. Sic saepe contingit; ut patritij, ac conciuus suo benefactori donum non gratulentur; existimant enim, iure patri sibi debere beneficium. Quarto. Quia saepe pudet homines, coram suo conciuie se humiliare, ac suam miseriam, qua ab illo liberati sunt, agnoscere. De his vide, quae dixi tom. 3. cap. 31. quaest. 8. ubi multa, quae faciunt ad hoc statutum.

Homines nolunt coram suo conciuie humiliari.

58. Quinto. Carthusianus. Queritur, ait, quomodo isti nouem reuersi non sunt, si a Christo non solum corporaliter, sed etiam spiritualiter curati fuerunt? Ad quod quis respondere potest, quod simul corporaliter, spiritualiterq. in via ad sacerdotes mundati sunt, sed postquam sacerdotibus sunt locuti, ab eisdem seducti fuerunt, sicq. ingrati effecti sunt, & reciduaerunt. Vna mala societas, pessima conuersatio multa mala intulit: a malis templi ministris malignam ingratitudinem ebiberunt.

Mala societas multum nocet.

59. Sexto. Leprosi Iudaei, homines ex suo genere peruersi, & mali; tamen iam a Christo sanati, ad templum, ac ad sacerdotes pergebant, & tamen incidunt in ingratitudinis vitium, ut nec e via, nec e templo ad Christum regrediantur, sanitatem ab ipso acceptam gratificantes. Malignus valde infelix est, quocumque se verterit, malum suum secum defert, venenaeque sua illi semper insunt, eumque concomitantur. Qui morbo premitur, illiusque doloribus torquetur, etiamsi per vices lectum, domum, vel locum alternet, quocumque se vertat, morbi angustiis vexatur. Seneca lib. de Paupertate. Quomodo nihil refert, inquit, utrum agrum in lecto ligneo, aut in aureo colloces, quocumque illum transuleris, morbum suum secum affert: utrum ager animus in diuitiis, vel in paupertate sit; malum suum illum sequitur.

Iniquus semper malitiam suam secum defert.

60. Vexatur Aegyptus plagis septem. Veniunt scyniphes, musca, grandines, & tenebrae. Tamen ait Deus: Faciamq. mirabilem in die illa terram Gessen, in qua populus meus est, ut non sint ibi musca. Exod. 8. num. 22. Pluit Dominus grandinem super terram Aegypti: Tantum in terra Gessen, vbi erant filij Israel, grandis non cecidit. Exod. 9. num. 26. Factae sunt tenebrae horribiles in vniuersa terra Aegypti. Vbi cumq. autem habitabant filij Israel lux erat. Exod. 10. num. 22. Ex quibus, & aliis locis colligitur Doctores, quod domus Hebraeorum immunes erant ab huiusmodi plagis. Merito dubitabis: Cur ergo Aegyptij, cum tot malis, ac vexationibus torquerentur, ad Hebraeorum domos se non recipiebant? Valde verissimile, quod multi ad illas confugebant, sed calamitates illae, musca, scyniphes, &c. eos ibi infectabantur Abulenensis Exod. 8. quaest. 11. Aegyptius, inquit, domum Hebraei, quasi refocillatus, intrare, musca eum illuc

Abulen.

persequebantur. Nonne domus illa, ad quam se Aegyptius recipiebat, habitaculum erat gentis sanctae, & a Deo electae, ex ipsoque ab omni illa oppressione priuilegiatum? Maxime quidem, fugiens tamen Aegyptius iniquus, & peruersus erat, ab eoque non fugebant, sed ipsum insequebantur scyniphes, musca, ranæ, grandines, ac tenebrae, ut aperte tormentum hoc, non loci, sed hominum sceleris agnosceretur, quod scelus quilibet in pectore suo infernum secum deferbat.

Inito bello inter Iesum, & reges Amorrhæos, deuicti Amorrhæi fugam ceperunt; quos lapidati inuitatae magnitudinis grandis, immissa a Domino, ut explicat Caietanus, infectabatur, cui, ut ait Iosephus lib. 5. Antiquit. c. 2. addita erant fulgura, & tonitrua. Cum fugerent filios Isael, & essent in descensu Beth-boron, Dominus misit super eos lapides magnos de caelo usque ad Azeca, Iosue 10. n. 11. Dubitatur: An saua, illa, & dura grandis solum in via percuteret homines, an etiam in quocumque loco se recipere? Abulenensis quaest. 8. In locis illis, ait, quae Chananaei fugientes, nondum attingerent, non cadebant lapides: cum vero illuc accederent, lapides cadebant, & consequenter eos lapides, quocumque irent, quasi essent iacula hostilia. Quocumque ibant Iesus hostes, eos diris ille turbocomitabatur, nec cum incederet, nec cum starent, ab eis diiungebatur; sed sicut malicia eorum indiuiduus comes erat, ita & asper ille cruciatus ab eis non discedebat: ut aperte deprehenderetur, quod tempestas, non loca, sed fugientium crimina infectabantur.

Iniquus quocumque vadit, sua omnia affliget malitia.

61. Caietan. Iosephus.

Iosue 10.

Abulen.

Malitiam iniqui concomitatur poena.

QUESTIO IX.

Quare tam acurate exprimitur, quod iste, qui venit, dans gratias, fuerit alienigena?

NOTAT D. Epiphanius haereti 66. contra Manichæos. Vnus Leprosus a Domino pradicatur. Vides, quod propterea, quod intellexerit beneficium, & propter gratitudinis opus, vnus pro decem mentionem facit. Decem mandati sunt, ait Dominus, & nouem ubi sunt? Et tamen pro his omnibus vnus alienigena ponitur: Vnus enim iustus bonus, ac gratus pro pluribus superabundat: Vnus pro decem mentionem facit.

Ad quaestionem primò respondent communiter Patres; Titus Bostrensis, Theophylactus, Beda, Bonauentura, quod hic homo ad Christum redierit glorificans Deum, ex eius gratitudine fuisse factum: Euthymius Fideles, inquit, decem Leprosi fuerunt, solus autem hic gratus fuit. Vnde rectè notatur D. Antonius Vlyssipponensis Dom. 14. post Trinit. Cardinalis Hugo, quod hic homo erat, & dicitur Samaritanus, interpretatur enim Samaritanus cultus donorum Dei; qui bene ea custodit, quod totum Deo, & nihil sibi attribuit. Psalm. 58. num. 10. Fortitudinem meam ad te, id est tibi attribuendo, ait D. Antonius, custodiam. D. Anselmus in propria homil. Custos, qui percepta beneficia seruabat per humilitatis custodiam. D. Bernardus serm. contra vitium Ingratitudinis. Felix Samaritanus ille, ait, qui cognouit, se nihil habere, quod non accepisset, idcirco conseruauit depositum, & cum gratiarum actione ad Dominum est reuersus.

62. Epiphanius.

Vnus iustus pro multis.

63. Bostrensis, Theophyl. Beda. Bonauent. Euthym.

Anton. Vlyssipponensis Hugo.

Psalm. 58.

Anselm. Bernard.

Secun

64. Anselm.

Secundo D. Anselmus citatus, premens, cur hic homo, veniens cum gratiarum actione, alienigena dicatur. Qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Sic subdit: Quia non inuenitur, qui post acceptam veniam recordeatur diuinae pietatis, & ei gratias deuoto corde rependens, perseueret in bonis actibus, nisi qui non sit ex filijs terrene Babylonis, sed ex filijs Ierusalem caelestis. Ex omnibus illis decem non aliquis conciuus, sed vnus tantum alienigena reperitur, qui recognoscens beneficium acceptum, pro eo veniat Deo referens gratiam. Adeo mirabile est, quod quis gratum in perceptis donis se exhibeat, ut non videatur huius saeculi habitator, sed ab eo profusus alienus, ac caelestis patriae ciuis, qui suum in hoc negotio munus persoluit. Qui non sit ex filijs terrene Babylonis, sed ex filijs Ierusalem caelestis. Ex quo de hoc alienigena dicunt Beda, Glossa Ordinaria: Ille, qui gratias egit, vnica Ecclesia significatione approbatus, ac laudatus est. Ipsa declarata gratitudine, quodammodo hic humane naturae terminos transcendit, ut iam non hominem ageret, sed Ecclesiam, Christi sponsam representaret.

Retributio pro bonis acceptis non fit ab hominibus huius saeculi.

Beda. Glossa.

65. Theophyl.

Nullus ex humili genere desperat.

Gen. 11. 1. Reg. 13. 4. Reg. 26. 4. Reg. 21. A. G. 16.

Matth. 1.

Damian.

66. Theoph.

Tertio Theophylactus: Samaritanus, inquit, cum esset generis alterius reuersus est, & vocem gratitudinis emisit: ut nullus Gentilis desperet, & nullus de sanctis parentibus elorietur. Sic saepe inuenimus optimos filios ex pessimis parentibus natos: Abraham ex Thare Genes. 11. num. 29. Ionatham ex Saule 1. Regum 13. num. 3. Ezechiam ex Achaz 4. Regum 16. num. 20. Iosiam ex Ammone 4. Regum 21. num. 24. Timotheum ex patre Gentili Actuum 16. num. 24. Christum Dominum ex Thamar, Ruth, & Bersabee Matth. 1. num. 3. Pro quo argumento optimè fatur Petrus Damianus opuscul. 6. qui est liber gratissimus, cap. 19. Esti fur sit ille, qui seminat, terra tamen, auctore Deo, vices germinandi frugibus administrat. Licet sordida sit manus, aut leprosa, que plantat; mundus certe fructus decerpit, cum ad maturitatis plenitudinem peruenit. Ex adulterino saepe coniugio pulchra soboles nascitur, & ex obscena voluptate parentum spectabilis oritur species liberorum.

67. Donum quo minus expeditur, gratius.

68. Bostrensis.

Euthymius.

Quarto Theophilus in Catena aurea. Hinc poterit, inquit, quisque coniecere, quod nihil impedit, quemquam placere Deo, etsi de genere prophano processerit, dummodo bonum gerat propositum. Nullus etiam natus ex sanctis superbiat: nouem enim, qui Israelitae erant, ingrati fuerunt. Ex hoc facto nullus ex humili genere desperet, vt proxime dictum: nam alienigena ex Gentilico sanguine natus erat; nullusque ex sanctis parentibus ortus superbiat: nouem enim Leprosi ex illustri Abrahae genere orti erant, & tamen ingrati defecerunt, nec suum munus adimpleuerunt.

Sexto Titus Bostrensis: Vnus autem solus, ait, & ille quidem alienigena, debitam gratiarum actionem obtulit: promptiores namque fuerunt hi semper ad fidem amplectendam, quam ingrati Iudaei. Euthymius: Hic ostendit, inquit, quod magis gratius sunt Gentiles, quam Iudaei: hi enim beneficiorum continuo obliuioni traditi, & ingrati erga Patrem, Sylueira in Euang. Tom. IV.

& Filium apparebant. Nouem illi Leprosi Israelitae Iudaeos exprimebant, qui Christo ingrati, & increduli fuerunt. Solus Samaritanus, qui Gentiles credentes representabat, quod Deo, & Christo debebat professus religiosa gratitudine Iudaeos deiecit.

Iudaei in gratia ad benedicta, ad qua recedenda Gentilis propensus.

Innumera sunt beneficia, quae Deus populo Israelitico contulit, vt dicat Regius Vates Psalm. 67. num. 10. Pluuiam voluntariam segregauit Deus hereditati suae; seu, vt legitur ex Hebraeo apud Lorinum, Pluuiam liberalitatum; multorum scilicet donorum, quae in eos distudit, vt oculis aperte viderentur, manibus tangerentur, palatūque gustarentur, vt in Manna misso de caelo, in aqua mirabiliter de petra erumpente. Et tamen subdit Psalmista: Et infirmata est. Brunonius: Haereditas ipsius fuit populus Hebraeorum, que infirmata est, Domino minime credendo. Ita vt in Horeb fecerint vitulum, quem adorauerunt. Sedt populus manducare, & surrexerunt ludere, Exod. 32. num. 6. Caietanus legit, illudere, vero nempe numini falsum sacrificium venerantes. Et tamen Rahab meretrix, cum ex auditu percepisset illa mirabilia, credidit in Deum, sicut ipsa dixit Iosue 2. num. 10. Audiuimus, quod succauerit Dominus aquas maris rubri ad introitum vestrum. Et num. 11. subdit: Dominus Deus vester, ipse est Deus in caelo sursum, & in terra deorsum. Cur tot signis visis, & palpatis populus Hebraeus non credit, maxime verò ex auditu Rahab Gentilis? Hebraeus incredulus ad fidem veram Dei, Gentilis verò ad illam maxime propensus. D. Chryostomus homil. 4. de laudibus Pauli tom. 3. Quoties autem Iudaei, ait, vocem audire de caelo, in Nouo, & Veteri Testamento, nec tamen facti sunt idcirco meliores? nam in Veteri Iudaei post mille miracula, pro Deo vitulum, quem fecerant, adorauerunt. At verò Hierichontina meretrix, que nihil omnino ex mirabilibus viderat; ostendit tamen fidem in exploratorum susceptione mirabilem. Quod multis exemplis confirmat idem Chryostomus sic pergens: In terra quoque reprobationis, Iudaei signa cernentes, pernebant lapidibus duriores: Niniuia verò Ionaem solum videntes crediderunt, & egerunt penitentiam: in Nouo etiam Testamento sub presentia ipsius Christi, latro quidem, cum crucifixum cerneret, adorauit: Iudaei verò, qui eum spectauerunt mortuos suscitantes, & vixerunt, & affixerunt cruci.

69. Psalm 67.

Lorin.

Brunon.

Exod. 32.

Caietan.

Iosue 2.

Iudaei increduli ad fidem, Gentiles propensi ad illam.

Chrylost.

Ad Christum Dominum loquitur Anima sancta, & ait: Oleum effusum nomen tuum; ideo adolescentula dilexerunt te nimis, Cantic. 1. num. 2. oleum effusum, vbi nomen tuum fuit effusum, ac euulgatum in toto orbe; exinde adolescentula, seu, vt alij legunt ex Hebraeo, virgines, sex puellae, dilexerunt te nimis. Cur potius non ait, senes dilexerunt te; hoc enim maxime videbatur spectare ad eius commendationem, quod a senibus esset dilectus? Seu cur non ait, vniuersi te dilexerunt, sed tantum adolescentulae? Senes, seu senior frater apud Lucam 15. num. 25. Populum Iudaeorum significat, vt docent D. Hieronymus, D. Ambrosius, D. Augustinus, Beda, & alij. Adolescentula autem, seu iunior frater populum gentilicum representat; optimè ergo tantum dicitur. Adolescentula dilexerunt te nimis; nam senex, seu antiquus populus Christum nimis odio habuit: Adolescentulus autem, Gentilicus populus nimis, ac supra modum eum dilexit. Huc aduoco D. Paschasium lib. 1. in Matthæum, pertractantem Christi fugam in Aegyptum;

70. Cant. 2.

Hebr.

Luc. 15. Hieron. Ambros. Augult. Beda.

Populus Hebraicus Christum habuit in odio, Gentilicus in amore. Paschas.

X

ptum; Ab odio Judæorum, ait, fugit Iesus in gentium terram, que iam ab incunabilis multo affectu eum venerabatur.

Luca 17. n. 19. Et ait illi: Surge, vade; quia fides tua te saluum fecit.

VERSIONES.

Syriacus. Surge, abi, fides tua te servauit.

EXPOSITIO V.

71.



IT illi Iesus. Samaritano nempe: Surge. Prociderat enim in terra ad pedes Iesus, ut dictum est supra num. 16. Vade. Abi quod libet securus iam de recuperata sanitate.

Hugo.

Cardinalis Hugo: Surge, ait, credendo, vade operando; vel surge incipiendo, vade proficendo; vel surge per mali declinationem, vade per boni operationem; vel surge de peccato ad gratiam, vade de virtute in virtutem. Beda, Quia, inquit, infirmitatem suam cognoscens, humiliter ante Deum iacuit: diuina consolatione surgere ad fortiora opera, & ire crescendo usque ad perfectionem iubetur. Quia humiliter prostratus est, humilitas autem fundamentum est virtutum, ideo ei mandatur ad magna opera surgere, ita tamen ut ibi non sistat, sed ut crescendo vadat ad excellentiora.

Beda.

In virtute proficiendum.

72.

Quia, omittitur Græcè, & Syriacè. Fides tua. Postquam de gratitudine Christus hominem laudauit, quod venerit glorificans Deum, laudat etiam eius fidem, quæ non fuit mortua, sed cum operibus. Fides tua, Glossa Ordinaria, que ad agendas gratias inclinavit: è contra perfidia illos damnat, qui de acceptis beneficiis sunt ingrati. Nam quamuis, ut ait Euthymius: Fideles quidem decem fuerint. Tamen, ut iam dixi ex Carthusiano, nouem fuerunt à Sacerdotibus decepti, ut fidem Christi amittentes; ingrati effecti sunt: Fides tua. Valde magna; quæ in operibus suis non est minuta exemplo Iudæorum fociorum: Fides tua. Qua dictis meis firmiter credens ad sacerdotes pergebas; eximia Christi modestia deuitans vanam gloriam, fidei Samaritani, & non sibi adscribit miraculum; nam quamuis ipse fuerit præcipuus miraculi Auctor (ut fides Samaritani fateatur) tamen disposuit, ut fides esset cooperata, præparans Samaritanum, & capacem efficiens tanti beneficii, nisi homo credidisset à Christo non fuisset sanatus. Saluum fecit. Non solum à lepra corporis, sed etiam à lepra animæ, nempe à peccatis. Nam Dei gratia in homine excitatus est actus contritionis, quo iustificatus est, & relinquens errorem Samaritanorum Christo adhaesit, eiusque baptismum postea recepit.

Glossa.

Euthym.

Fides vincit cum actibus virtutum. Rara virtus que malo exemplo non seducitur.

QUESTIO X.

Quare isti Leproso ante curationem, & non postea mandat Dominus, ut se ostendat Sacerdotibus?

ISTE profelytus postquam datis Christo gratis iussus est abire, ut notat Lucas Burgenis, iam amplius non accessit ad Sacerdotes Samaritanos, ut testificaretur sacrificio peracto ipsius mundities, sed ad Ierosolymitanos, quibus promulgauit virtutem Iesu, quam ceteri nouem Iudæi silentio fortasse suppresserunt.

73.

Samaritanus postea retendit ad Sacerdotes.

74.

Quæstio tamen inquit, quod cum in exordio huius historiarum Leprosi Christo occurrerent, ab ipso sanitatem exposculantes. Iesu præceptor miserere nostri. Dominus eis mandauit, ut se Sacerdotibus ostenderent, ut in templo pro adepta sanitate sacrificia offerrent, ut præceptum erat in lege, Leuitic. 14. num. 4. At verò, postquam hic Samaritanus gratias agens de sua curatione reuersus est, iam non ei iubet, ut offerat præscriptas victimas, sed tantum absolute, Vade, illi ait.

Leuit. 14.

75.

Tertullian.

Ad quæstionem respondet Tertullianus: Vnum illum, ait, solum ex decem memorem diuine gratie Samaritanem miratus Dominus, non mandat offerre munus ex lege, quia satis iam obtulerat, gloriam reddens Deo. Et si antea ei mandauit, ut pergeret ad Sacerdotes, & legalia persolueret, tamen iam nihil eorum præcipit Dominus, cum enim eum vidisset gratias tribuentem, nil aliud ab eo exigit, gratiarum enim actio victima præstantissima, sacrificium suauissimum, in quo omnia legalia abundantissime præsoluebantur.

Gratiarum actio præstantissimum sacrificium.

76.

Exod. 17.

Destructo Amalech. Edificauit Moyses altare Domino, vocauitque nomen eius exaltatio mea, Exod. 17. num. 15. huicque altari, ut testatur Iosephus, inscriptum est nomen: Victori Deo. Et licet aliqui existiment victimas in hoc altari fuisse Deo oblatas. Tamen Cornelius à Lapide, & alij constanter tenent hoc altare extructum fuisse pro titulo gratitudinis, non verò pro sacrificiis peragendis, & ad hoc est optima coniectura, quia victimarum nulla hic fit mentio, ut in aliis locis exprimitur, & titulus affixus, gratitudinis trophæum indicat. Cur pro prima parta victoria ab Israele, pro inimico rege destructo, pro multisque spoliis comparatis magna animalium sacrificia à Deo non offeruntur? Cur solum illud altare tantum erigitur? Apponebatur illud tanquam gratitudinis monumentum, actionumque gratiarum memoriale perenne; gratiarum actiones, gratitudinisque signa omni victima sunt excellentiora. Philo Alexandrinus lib. de victimis offerentibus: Quantum aurum, ait, præstat lapidibus, tantum acceptior est suffitus gratiarum actionis, quam maculata victima. Gratiarum actio tam suauissimum odorem Deo mittit, ut victimarum suffitus nullus exoptetur.

Ioseph.

Cornel.

Gratiarum actio sublimior victima.

Philo.

77.

Gen. 49. Vatabl.

Benedicens Iacob filios suos ait: Nephthali ceruus emissus, dans eloquia pulchritudinis, Gen. 49. num. 21. Seu, ut legit Vatablus, Ceruus cervinus: per quod, ut multis placet, denotatur huius tribus

tribus terræ summa fertilitas, atque agilitas, & celeritas in maturandis fructibus, ita ut prius in illa, quam in cæteris matorum fructus colligerentur; hoc enim significat similitudo cerui emissi, seu celeris, qui sicut tanta currendi præstat dexterritate, ut suo cursu cætera animantia facile antecedit, sic fruges tribus Nephthali, priusquam aliarum tribuum nascebantur: indeque ex ipsis maxime deferebantur in templum oblationes primitiarum pro gratiarum actione ex perceptis terræ prouentibus. Sed cur additur de Nephthali, dans eloquia pulchritudinis? quænam connexio inter fructus citò maturescentes, ac eloquia pulchritudinis? Germinabat Nephthali fructus, qui inseruiebant ad gratiarum actionem in templo, indeque dabat eloquia pulchritudinis. Nullum elegantius, ac præiucundius eloquium, quam illud, quod resonat in gratiarum actione, quæ cum huiusmodi prouentibus à Sacerdotibus in templo decantabantur. Abulensis, De istis, ait, nouis fructibus, & frugibus, que nascebantur in sorte Nephthali, offerebantur oblationes primitiarum in templo, & propter has pulchras laudes, Domino personabant, que vocantur eloquia pulchritudinis.

Gratiarum actio pulcherrimum eloquium.

Abulens.



CAPVT XIV.

IESVS in festo Scenopægiæ, seu Tabernaculorum.

Ioannis 7. n. 1. Post hæc autem ambulabat Iesus in Galilæam, non enim volebat in Iudæa ambulare: quia quærebant eum Iudæi interficere.

Num 2. Erat autem in proximo dies festus Iudæorum Scenopægia.

VERSIONES.

Vatablus n. 1. Versabatur autem Iesus post hæc in Galilæa, non enim volebat in Iudæa versari.

D Chrysostom Non enim poterat in Iudæa versari.

Syriacus. Propter Iudæos: quippe qui studebant eum trucidare.

Arabicus n. 2. Cum propinquasset dies festus Tabernaculorum Iudæorum.

Syrus. Prope erat festum Iudæorum, Conopea.

EXPOSITIO I.

1. Ioan. 6.

POST hæc. Quæ scilicet, Ioannes narrat cap. 6. de multiplicatione panum, ac de admirabili Eucharistiæ sermone: non tamen immemora Sylaieira in Euang. Tom. IV.

diatè. Nam multiplicatio panum accidit prope Pascha, Ioannis 6. num. 4. quod celebratur mense Martij; hæc autem acciderunt in festo Scenopægiæ, quæ incidebat mense Septembri; & ideo cum Euangelista hoc festum hic exprimat, ut docent Chrysostomus, S. Thomas, D. Bonauentura, Carthusianus, denotat, quod multum temporis interiecit ab his, quæ hic describuntur; ab illis, quæ cap. 6. narrantur, sex scilicet menses, in quibus Christus Dominus egit, quæ refert D. Matth. cap. 15. 16. & 17. ac 18. quæ hucilque à nobis sunt explicata. Ex his etiam aperte constat, quod post multiplicationem quinque panum, ad celebrandum sequens Pascha, sicut & Pentecostes festum non profectus fuerit Iesus in Ierusalem, sed remanserit in Galilæa; non enim ita rigide obseruabatur illud præceptum, de adeundo locum, quem elegisset Dominus ter in anno. Exod. 23. num. 17. Deuter. 16. num. 16. ut ille transgressor legis iudicaretur, qui deesset; sed multas multorum admittebat exculationes, ut ad citata loca aduertunt expositores.

Chrysost. D. Thom. Bonau. Carthusian.

Matth. 15.

Exod. 23. Deuter. 16.

2.

Ambulabat Iesus in Galilæam, seu in Galilæa, hoc est versabatur, degebatque per Galilæam; non enim volebat in Iudæam ambulare, seu illic proficisci. Chrysostomus, Euthymius legunt: Non poterat versari, hoc est nollebat; sæpe enim, ut notat D. Gregorius Nazianzenus orat. 4. de Theologia, non posse, ponitur pro nolle. Marc. 6. num. 5. Non poterat ibi virtutem ullam facere. D. Cyrillus Alexandr. lib. 4. in Ioannem, cap. 31. Magna, ait, profecto hæc Iudæorum accusatio est, quorum crudelitate fiebat, ut apud alienigenam duceret. Sequitur textus: Quia quærebant eum Iudæi interficere: assignat Euangelista rationem, ut aduertunt D. Thomas, D. Bonauentura; quam ob causam Christus non sit profectus ad Pascha, quia in Iudæa tutus non versabatur. Iudæi enim quærebant occasionem ad eum interficiendum; dicebant enim, quod Sabbatum non custodiebat. Suprà Ioannis 5. num. 18. & quanquam Dominus si vellet in medio Iudæorum stans poterat eorum furorem declinare, ac euitare, ut fecit quando Nazareni eum præcipitate voluerunt, Luc. 4. num. 3. tamen noluit hoc in præsentem facere, sed duabus de causis apud Galilæos demoratur. Primò, ut docent D. Augustinus tract. 28. Beda, D. Thomas exemplum nobis exhibere voluisse pericula euitandi, persecutionisque fugiendi. Secundò D. Chrysostomus, Ammonius, Theophylactus, Euthymius, Carthusianus, se voluisse verum hominem, & non phantasticum demonstrare. Theophylactus, Timuit Dominus, ait, volens in hoc se hominem ostendere. Maiestas Christi non respuit ostendere humilitatem naturæ assumptæ.

Chrysost. Euthym. Nazianz.

Marc. 6. Cyrillus. Homo apud externos acceptior.

D Thom. Bonauent.

Ioan. 5.

Luc. 4.

August. Beda. D. Thom. Chrysost. Ammon. Theophyl. Euthym. Carthul.

3.

Erat autem in proximo. Ex his patet, quod hæc non acciderunt immediatè post dicta cap. 6. ut iam notauimus. Dies festus Scenopægiæ. Hæc Ioannes scribit, ut aperiat occasionem sequentis historiarum, quo scilicet motiuo incitatus fuisset Iesus, ut in Iudæam tenderet, prætextu scilicet celebrandi festum Scenopægiæ, quod Græcè Tabernaculorum fixationem significat: de quo quæstione sequenti.

X 2 QVA